ut super procedatur servetur modus procedendi antedictus alioquin omnes termini palatii serventur ut est moris etc. Si vero unum ex duobus predictis in commissione concedatur puta quod sola facti veritate inspecta vel terminis non servatis procedatur serventur omnes termini palatii sed abbrevientur ad arbitrium iudicis etc.

In causis vero prophanis si committatur causa quod servantur simpliciter et de plano etc. ac sola facti veritate inspecta et terminis non servatis procedatur servetur modus procedendi ut in causis beneficialibus supradictis servata semper distinctione de presentia vel absentia partium superius annotata. Si vero committatur causa prophana simpliciter et de plano omnes termini palatii in suo processu servari consueti observandi et in nullo abbreviando. Si vero contendit quod terminis non servatis vel abbreviatis procedatur tunc omnes termini in causa prophana servari consueti observentur sed abbrevientur ad arbitrium iudicis. Si vero utrumque contenditur quod sola facti veritate etc. et terminis non servatis etc. tunc omnes termini ut in processu summario serventur et etiam abbrevientur ad arbitrium auditoris. Que ordinatio facta fuit Rome Anno a nativitate domini M°. ccc. lxxx vij^a die Januarii pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani divina providentia pape vi Anno secundo.

xl Si in libello actoris fit mentio de aliquo privilegio vel scriptura super quibus fundatur intentio libellantis fuit dubitatum utrum ille scripture si petantur per reum conventum ut ante omnia exhibeat sint exhibende antequam reus compellatur respondere libello et licet possint fieri super hoc plura argumenta pro et contra finaliter fuit determinatum et conclusum per omnes quod si actor habeat illas scripturas penes se ita quod in prompto possint haberi et exhiberi quod tunc ante omnia compellatur ad exhibendum alias non compellitur illas exhibere ymo reus compellitur libello respondere et procedatur ad ulteriora in causa et in termino ad producendum omnia actor si voluerit illas producet et si fuerit contentio inter partes utrum predictas scripturas actor habeat vel non penes se vel in brevi possit habere iudex super hoc potest et debet actori deferre iuramentum de fide instrumentorum Johannes de [illegible] ta. lup. t. ij. li. vj. hec questio probatur per Innocentium in titulo de probationibus et speculatorem titulo de fide instrumentorum editione § nunc diximus etc. Si quis quia questio dicit dominus Egidius veram si scriptura sit talis que debeat esse penes conventum vel cuius tenor satis exprimitur in libellis quia tunc sine alia productione satis potest deliberare conventus et sic ista ratio ymo cessat terminus cum a stilo statutus est ad producendum omnia etc.

Fuit dubitatum quod si expectans in partibus beneficium acceptavit die